



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

**Parisiis, 1644**

XVI. Licere in ecclesiasticis negotiis, dicta causa & finita, recedere, quod in saecularibus non licet.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15256**

quiratur : & postmodum ea quæ obiiciuntur , fideliter  
pertractentur : quoniam nihil aliter fieri \* debet, nisi im- \* decet,  
petitorum prius requiratur fides, personæ, vita & actus  
discutiantur : quia non debet prauorum aut insidiantium  
hominum pernicie, vita lacerari innocentium. Sane sæ-  
pissime boni a malis persequuntur, qui non cessant suis  
\* calamitatibus aliis derogare. Ideo summopere proui- \* eplu-  
dendum est, ne hæc fiant. mis alio  
delega-  
re.

## XIV.

Nullus seruus, nullus libertus, nullus infidus, nul-  
lus criminibus irretitus, nullus calumniator, nullus qui  
inimicitias studet, nullus qui frequenter litigat, & ad ac-  
cusandum vel detrahendum est facilis, nulla infamis per-  
sona, vel omnes, quos ad accusanda crimina publica le-  
ges publicæ non admittunt, permittantur episcopos ac-  
cusare : quoniam accusatores & accusationes, quas leges  
sæculi non recipiunt, qua ratione sacerdotalis eas recipe-  
re debet ordo, inuenire nequeo, cum hæc & in Nicæna  
Synodo prohibita sint, & illi magis ab istis, non isti ab il-  
lis iudicari debeant ; & Apostolus dicat : *Spiritualis iudicat*  
*omnia, ipse vero a nemine iudicatur.*

## XV.

Hæretici, a quibus nimium opprimimur, excommu-  
nicatique, homicidæ, malefici, fures, sacrilegi, raptores,  
venefici, adulteri, & qui raptum fecerint, vel falsum te-  
stimonium dixerint, seu qui ad sortilegos magosque con-  
currerint, nullatenus ad accusationem vel ad testimo-  
nium erunt admittendi.

## XVI.

Nec ita in ecclesiasticis agendum est negotiis, sicut  
in sæcularibus. Nam in sæcularibus postquam legibus  
vocatus venerit, & in foro decertare cœperit aliquis, non  
licet ante peractam causam recedere : in ecclesiasticis ve-  
ro, dicta causa, recedere licet, si necesse fuerit, aut si se  
prægrauari viderit.

## XVII.

Quoties episcopus super certis accusatur criminibus,  
si tales fuerint accusatores, qui iuste & canonice recipi  
debeant, legitima in Synodo suo in tempore congregata,  
ab omnibus canonice audiatur, qui sunt in prouinciis,